

stanti infeodare vult filium suum dominum Radulfum, ducem Austrie, et dominam Blancham, consortem suam, regis Francorum sororem, de comitatibus et dominiis terrarum Hollandie, Zelandie et Frisie; quare petit Romanorum rex, ut placeat regi Francorum sub dilectionis et fidei debito, quo simul uniti sunt, sibi assistere in conquisicione terrarum earundem, que in presentiarum de iure vacare sibi et imperio dinoscuntur, consiliis et auxiliis oportunis.

Item petatur, ut . . rex Francorum ducem Austrie una cum domina Blanca, sorore regis, remittat modis omnibus Romanorum regi in Novo castro vel in civitate Tullensi, qui locus magis placet, super festum assumptionis beate Marie virginis, quo tempore Romanorum regina ipsam recipiet et ad partes ducatus Austrie in persona propria secum ducet.

Item regratiemini regi Francorum de honore et benigna pertractacione exhibita duci Austrie et familie sue.

Item rogetis cum diligencia studiosa reginam Francorum¹, dominam Blancham, ducissam Austrie, et precipue dominam Mariam, socrum ducis², ut ad premissa complenda et impetranda hortentur et invitent regem Francorum cum affeccione et sollicitudine studiosa, et regratiemini eisdem de honore et benigna pertractacione ducis Austrie et familie sue cum recommendacione ipsius ducis; et dicatis domine Marie, quod certa sit et segura, quod dominus rex Romanorum concedet in feodum terras predictas duci Austrie et domine Blanche, uxori sue, volens de mansione et statu eorundem disponere et ordinare, prout placuerit domine Marie.

Ceterum, si videritis, quod via premissa super comitatibus predictis processum apud regem Francorum habere non possit, tunc proponatis regi Francorum, quod Romanorum rex paratus est, si sibi placuerit, pro filio suo Frederico secundogenito filiam domini Karoli, fratris regis Francorum³, recipere in uxorem et eisdem, filio et filie, terras predictas concedere in feodum, ita quod rex Francorum Romanorum regi assistat in premissis auxiliis et consiliis oportunis; et dicatur regi Francorum, quod Roma-

1) Johanna von Navarra. 2) Maria von Brabant; vgl. E. van Even, Marie de Brabant (Louvain et Paris 1853) S. 92. 3) Karl von Valois, der jüngere Bruder Philipps IV., hatte aus drei Ehen vierzehn Kinder, darunter zehn Töchter; welche gemeint ist, steht dahin. Vgl. J. Boselli, Tableaux généalogiques de la dynastie Capétienne (Paris s. a.) tabl. 3. 4.